THESES MEDICAE
INAUGURALES,

QUAS,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI,

EVERW. WASSENBERGHII,

Ling. Graec. et Belg. ut et Antiquitat.
Graec. Professoris Ordinarii,

NEC NON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU,

ADSTIPULANTE NOBILISSIMA *FACULTATE*
MEDICA,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC
PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum Examini Submittit

DOUWE JETZES DOUMA,

Idsega Frisius.

A. D. XIX. *Octobris* MDCCCVIII. *H. L. Q. S.*

FRANEQUERAE,
Apud D. ROMAR, Bibliopolam.
1808.

THESES MEDICAE

INAUGURALES.

I.

Totam osſium ſubſtantiam continuae mutationi obnoxiam eſſe experimenta cum Rubia Tinctorum capta, et morbi osſium probare videntur.

II.

Vaſa abſorbentia in osſificatione non ſolum ad materiam, ex qua cartilagines conſtant, ſed etiam ad duram, jam in os mutatam, partem iterum abſorbendam multum valere videntur.

III.

Ut primae nervorum origines, ita et fere omnium ultimi termini, quibus extremi eorum ramuli finiuntur, adhuc in obſcuro latent.

IV.

In decurſu ſuo nervorum medullam piae meningis continuatio quaedam comitatur, ita ut tenerrimam vasculoſam tunicam nanciscatur.

V.

Sententia Williſii, dicentis nervos ad Animalitatem et nervos ad actiones Vitales pertinentes differre, et praeterea Animalitatem in Cerebro et Vitalitatem in Cerebello poſitam esſe, falſa est.

VI.

Totus Tubus Alimentarius a cavitate oris usque ad anum est organum Secretorium.

VII.

Quamvis Fauces et Oeſophagus ſunt ſedes ſitis potius quam Famis, tamen videtur ventriculus ejus quodammodo particeps.

VIII.

Nullus corporis humor mutari, neque praeternaturalem conditionem accipere poteſt, niſi prius organum aut ſyſtema vaſorum, quod hunc humorem ſeparat, mutetur.

IX.

Suppuratio eſt ſecretio cujusdam humoris, qui ſingulari irritatione in vaſis ſecernitur, et hanc irritationem procreat inflammatio.

X.

Quodque noſtri corporis organum priva habet ſua ſtimulandi medicamenta, quae peculiares actiones in eo exercent.

XI.

Quaelibet levior ſeceſſio a legibus ſanita-

tatis non appellatur morbus; referimus potius illam ad ſtatum neutralem.

X I I.

In Asthenia directa non tantum irritatio ad vitam et ſanitatem neceſſaria perit, ſed etiam incitabilis materia perire videtur.

X I I I.

Duo modo febrium genera eſſe videntur, nempe Synocha et Typhus.

Typhus iterum in duas claſſes practice dividitur, in Typhum nempe Putridum et Nervoſum.

X I V.

Hi Typhi ſimul adeſſe poſſunt, unde tamen nullum diverſum febris genus efficitur.

X V.

Univerſalem characterem febris, quae est Sthenia vel Asthenia, ex cauſis ~~remotis~~ occasionalibus non cognoscimus, ſed ex praegreſſa conſtitutione propria corporis.

XVI.

Causa Proxima inflammationis est semper coacervatio sanguinis in aliqua parte, cujus causae remotae multum differunt.

XVII.

In febribus biliosis coacervatio bilis in ventriculo et duodeno non est causa morbi; sed effectus.

XVIII.

Causa Proxima status biliosi est secretio morbosa in hepate, comitata secretione morbosa in glandulis salivalibus, et vasis exhalantibus oris.

XIX.

In Typho Nervoso Cortex Peruvianus, justo tempore exhibitus, atque vesicatoriorum applicatio summi momenti sunt.

XX.

Vesicatoria in febribus Putridis non in initio, sed in ultimo stadio morbi, sunt utilissima.

X X I.

Vermes, inprimis in infantibus, ſaepisſime ſunt cauſa febris hecticae.

X X I I.

Actio ſalutaris et ſedativa Nitri in morbis inflammatoriis non pendet a vi, qua in ſolutione ſua caloricum ex humore abſorbet.

X X I I I.

Haemoptoes ſaepius per anaſtomoſin naſci et Practice et Theoretice verum est.

X X I V.

Qui Proclivitatem ad Phthiſin habent, facile etiam Haemoptyſi ſunt obnoxii, atque in quibusdam locis ea quoque endemica esſe videtur.

X X V.

Quodſi post Hoemoptyſin in aliis locis compareant dolores Rheumatici, ii plerumque metastaſin ſalutarem conſtituunt: hinc

hinc fonticulorum applicatio istis locis ſaepius prodest.

XXVI.

Dantur Hoemoptyſes, quae ſine multa tusſi, hoemorrhagiis naturalibus et conſuetis ſuppresſis, oriuntur, nec ulla ſtipantur febre. Haec ſpecies est omnium maxime innoxia.

XXVII.

Multos morbos animadvertimus, qui ex cauſis ſpecificis oriuntur: ad eos curandos peculiaria, et ſpecifica medicamenta ſunt adhibenda.

XXVIII.

Inter omnia Evacuantia vomitus ineptisſimus est ad debilitatem inducendam in morbis ſthenicis.

XXIX.

Quum mictus organa cum cute ſummum conſenſum habeant, cujuscunque cu-

cutis ſtimuli acuti ſequela potest esſe Isſchuria.

XXX.

Definitio Isſchuriae Veſicalis, quam dedit Clarisſ. F. HOME, optime ſcopo ſatisfacit, nempe „ mictus, difficilis comi„ tatus cum tumore abdominali, et morbo „ accrescente cum vomitu et ſingultu."

FINIS